

NUMMI MEMORIÆ DICATI:
CVSI OBSESSIS VRBIBVS TRAIE-
cti ad Mosam & Steinvici: Anno Christi
1579. & 1580.



Alexander Farnesius Parmæ Dux, postquam Gallo-
Belgas suam in potestatem rede-gisset, ad expugnan-
dum Traiectum Mosæ (vulgò Mastrich) animum
adiicit: sineque mora omni duos pontes Mosæ flu-
vio imponit: unum citra, alterū ultra urbem: Mon-
dragonius castra sua ad latus Wickæ collocat. Erant
in urbe mille stiendiarj circiter: mille & ducentū
cives bellicosi: rusticorum ad duo millia, qui eò cum
uxoribus ac liberis confugerant. Non pluribus re-
censeo, quā savitiā urbem Hispani oppugnarint: quā fide & alacritate op-
pidani eandem defenderint, Herlæo Belgâ & Tappino Gallo Archistrat-
gis & Tribunis usi: ne ab Historicis copiosissimè tradita otiosè repetere, ad-
coque actum, quod ajunt, agere velle videar. Obsessi (de exitu ut dicam)
frustrā subsidia expectantes, & laboribus, vigiliisque fracti in resistendo
remissiores fiunt indies. Hispanis animus additur, qui quarto tandem
mense urbem expugnant. Cæsi sunt omnes qui armati in urbe reperti, mul-
tique ex civibus atrocitatem victoriæ sensere. Hispani sic urbe potiti non